



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.10. Concilium Valentinum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

Sæcul. XIII.
A. C. 1248.

Segoviensis, ac Regis Ferdinandi Cancellarius, qui ante Philippi abdicationem tanquam ejus vicarius aut Suffraganeus Ecclesiæ Hispalensi deservierat.

§. X.

Concilium Valentinum.

Quamvis Imperator Fridericus in Apulia esset, Papa Innocentius metuebat, ne trajectis ille alpibus Lugdunum peteret; ut constat ex decretis Concilii Valentiaë ad Rhodanum habiti sabbato post festum S. Andreaë, nimirum 5 Decembris an. 1248. Duo Cardinales ei præsidebant, scilicet Petrus Episcopus Albanensis, & Hugo Presbyter tit. S. Sabinæ: Papæque jussu eidem intererant quatuor Archiepiscopi, Narbonensis, Viennensis, Arelatensis, & Aquensis; ac quindecim Episcopi, Biterrensis, Agathensis, Uzetientis, Nemausensis, Lutevanus, Aginensis, Vivariensis, Massiliensis, For-Julienis, Cabellionensis, Carpentoractensis, Avenionensis, Vasionensis, Dienensis, ac Tricastrensis. Edebantur ibi tres ac viginti canones, ut veteres executioni darentur, ad conservandam fidem, pacemque ac libertatem Ecclesiasticam pertinentes. En ea, quæ inibi memoratu digniora mihi videntur! Secundum decreta conciliorum (inter alia inspicipotest

Sup. lib. 79.
§. 58. to. 28.
p. 433.

est Tolosanum anni 1229) Catholici omnes tertio quovis anno juramentum pacis repetent. Eodem jurejurando se nunc adstringent, ut Friderico schismatico & pacis turbatori nullum ferant auxilium, atque, si forsitan ipse vel ejus partium quisquam has in provincias venerit, illi tectum & obedientiam denegent. Tum iteratur anathema contra ipsum, fautores ejus, & omnes, qui ad eundem provocaverit, aut provocabunt: & illi declarantur infames, nec idonei ad testimonium, aliumve actum legitimum.

Ut perjuria tam crebra reprimantur, Episcopi ea pœnis per canones statutis strictissime vindicabunt. Qui sententias Inquisitorum non executi fuerint, tanquam hæreticorum fautores tractabuntur. Qui cruces, quas ut ejuratæ hæresis signa supra vestes suas gerere debent, temere deposuerint, pro hæreticis habebuntur. Ut comperimus, inquit Concilium, quidam contra illos, a quibus proscribuntur, aut proscripti denunciuntur, constitutiones faciunt; id quod pene hæreticum est, cum per contemptum clavium Ecclesiæ fiat. Quamobrem statui-
mus, ut ii, qui tales sanctiones ediderint, hanc ipsam quoque ob causam ab Ecclesiæ corpore sejungantur, & ubicunque morabuntur, ab officio divino cessetur. Num vero sperari poterat, secundæ censuræ majorem

Sæcul. XIII.
A. C. 1248.

c. 2.

c. 22. 23.

c. 6. 7. 8.

c. 9.

c. 13.

c. 15.

Sæcul. XIII. majorem quam primæ rationem habitum
 A. C. 1248. iri? Hoc Concilium etiam conjurationes
 ac societates prohibet, ac foedus contra
 c. 20.
 Sup. lib. 82. Clerum a Franciæ Proceribus anno præ-
 S. 48. terito conflatum respicere videtur.

§. XI.

S. Ludovicus in Cypro.

Rayn. 1247. Interim S. Ludovicus in Cypro ab insulæ
n. 55. Rege Henrico Liciniacensi exceptus
Gesta. Du- erat, cui Papa Innocentius etiam Regnum
chesne p. 347. Hierosolymitanum detulerat, id pro vi-
 duo habens ob condemnatos Fridericum
 & Conradum hujus filium. Quia Fran-
 ciæ triremes ac navigia, balistarii & re-
 liqua Gallorum pars nondum advene-
 rant, Ludovicus de consilio suorum &
 Cypri Procerum hyemem ibi agere sta-
 tuit, cum Ægyptum in tempore adire
 haud posset. Decreverat enim, Ægypto
 bellum inferre, ut Sultanum Terræ san-
 ctæ possessorem in ipsius regione invade-
 ret, sicut annos abhinc triginta factum
 erat. Henricus cum Regni Præsulibus
 ac toto pene Nobilium Ordine crucem
 induit, & anni futuri Pascha ad abitum
 universi exercitus destinatum est. Lu-
 dovicus per id tempus, quo in Cypro com-
 morabatur, composuit multas controver-
 sias inter Proceres cruce signatos, quos
 continere difficile semper fuit, cum alteri
 ex

Sup. lib. 78.
 S. 15.